

judicis condemnatoriam, vel declaratoriam. Ita Suarez disp. 17, de *Censuris*, sect. 1, num. 4. Sylvester, vers. *Rescriptum*, q. 2. et alii, contra Navarrum, consil. 44, num. 7. et 8. de *Sentent. excommun.* Ratio est: quia excommunicatio secum trahit executionem, ut dicitur in *c. Pastoralis*, 53. § fin. de *Appellat.* Simulque leges, quæ meram pœnam spirituales inferunt, aut simpliciter inhabilitatem ad aliquem actum inducunt, non requirunt sententiam judicis, sed statim effectum suum habent, et obligant, ut dictum est, tit. præc. § 10, num. 226. et seqq.

53. *Absolutio a censuris ad cautelam, quid operetur?* — Et hac de causa hodie de stylo curiæ Romanæ solet plerisque rescriptis inseri absolutio a censuris ad cautelam in ordine ad effectum illius rescripti certius consequendum: unde licet quis noverit, quod obtinuerit rescriptum in excommunicatione constitutus, si tamen fuit inserta absolutio illa ad cautelam, valide, ac licite pro foro conscientie eodem uti poterit. Insuper, si postea innotuerit impetratorem rescripti fuisse tempore impetrationis excommunicatum, ex hoc capite valor rescripti etiam in foro externo impugnari non poterit: quia impetrator ipsius jam fuerat absolutus in ordine ad ejus effectum consequendum. (ADNOTATIO XXIV.)

54. *Absolutio ab excommunicatione primum superveniens non convalidat rescriptum ab excommunicato impetratum.* — Secus est dicendum, quando absolutio ab excommunicatione primum supervenit: quia rescriptum ab excommunicato impetratum adeo est invalidum et nullum, ut superveniens absolutio illud non convalidet. Abbas in *c. Prudentiam*, §. *Sexta*, n. 10, de *Offic. delegat.* Barbosa, loc. cit., n. 16, citans insuper Anchoranum, Rebuffum, et alios. Licet enim per absolutionem reducatur excommunicatus in statum pristinum, can. *Quod autem*, 4, q. 1, nihilominus, quia rescriptum ab excommunicato impetratum nunquam valuit, secuta ejus ablutione non potest reconvallescere.

55. *Explicatur c. Prudentiam. § Sexta de Offic. delegat.* — Nec dictis obstat textus in *c. Prudentiam*, § *Sexta*, de *Offic. delegat.* ubi habetur, quod actor, quem reus probat excommunicatum, prius a iudice delegato sit absolvendus, et postea audiendus; ac proinde videtur sequi, quod absolutio sequens possit convalidare rescriptum ab ex-

communicato impetratum. Resp. enim neg. sequel. Quia, loc. citat. sermo est de excommunicato, qui incidit in excommunicationem post rescriptum papale jam antea impetratum, ac proinde, ut possit stare, et agere in iudicio, haud obstante exceptione suæ excommunicationis per reum proposita, et probata, prius in forma Ecclesie absolvendus est: non autem ibi sermo est de tali, qui tempore impetrationis fuit excommunicatus, ut ibidem notat Glossa, vers. *Vinculo*, et Abbas, num. 10; Pirhing, tit. de *Offic. delegat.*, numer. 85 et alii. Quod si etiam quis illud capitulum velit intelligere de rescripto in excommunicatione impetrato, dicendum erit id procedere in casu articuli excommunicationis, vel appellationis, juxta cap. 1, h. t. in 6.

56. *Rescripta gratiæ possunt impetrari pro alio absque ejus mandato.* — Queritur IV. Utrum quis possit impetrare rescriptum pro alio absque ejus speciali mandato? Resp. cum communi, hic esse distinguendum inter rescripta gratiæ, et justitiæ. Et quidem rescripta gratiæ posse impetrari pro alia persona capaci sine ejusmodi mandato speciali, fatentur passim doctores, post Glossam in *c. Nonnulli*, vers. *Sine speciali*, h. t. Idque satis desumitur ex l. *Universis*, C. de *Precib. Imperat. offerend.* ibi: « Universis simul hanc observantiam remittimus, ut a quocumque supplicante impetratum fuerit rescriptum, minime requiratur, per quem preces oblatæ sint. » Hoc quippe ad minus habebit locum in rescriptis gratiæ.

57. *Non item rescripta justitiæ, quantum est de rigore juris.* — Econtra vero rescripta justitiæ, seu ad lites, quantum est de rigore juris, ac seclusa contraria consuetudine, non posse pro alio impetrari absque ejusdem mandato speciali, expresse habetur, cit. cap. *Nonnulli*, 28. § *Sunt et alii*, et *c. Ex parte* 33, § fin. h. t. In quo posteriori loco proinde concluditur, non valere rescriptum, quod procurator revocatus, et de hoc certificatus pro domino impetravit; cum idem sit, non habuisse mandatum, et mandatum esse revocatum; imo hoc plus sit, quia contra expressam voluntatem domini tunc ageretur.

58. *Nisi pro personis conjunctis.* — Ab hoc tamen rigore juris in utroque cit. cap. excipiuntur personæ conjunctæ, a quibus non debet de jure exigi mandatum: quales sunt liberi, parentes, fratres, affines, et liberti, argum. l. *Sed et hæ personæ*, ff. de *Procurat*

ne notat Glossa in cit. *c. Ex parte*, versic. *Personis*. Quia enim agere licet pro talibus conjunctis personis absque earum voluntate, vel mandato, dummodo contraria voluntas non probetur, textus clar. l. *Pomponius*, §. fin. ff. de *Procurat.* Ergo et rescriptum justitiæ pro iisdem obtineri poterit absque mandato, dum tamen non apparet de contraria earum voluntate.

59. *De consuetudine tamen moderna curiæ Romanæ valet rescriptum justitiæ pro extraneo impetratum, absque ejus mandato.* — Additur etiam numer. 57: « Quantum de rigore juris ac seclusa contraria consuetudine. » Siquidem secundum stylum, et hodiernam consuetudinem curiæ Romanæ, possunt etiam extraneis personis nomine alieno, et sine speciali mandato, impetrari rescripta justitiæ, seu ad lites; nec solet amplius admitti exceptio defectus mandati. Navarrus consil. 4. de *Rescript.*, numer. 9, post Felinum, qui fuit auditor Rotæ, in *c. Cum inter, de Exceptione*; Vallensis, h. t. §. 3, nu. 4, citans Gonzalez ad reg. VIII cancell.; Glossa. 63, n. 16 et seqq.; Pirhing h. t. n. 14 et alii.

§ III.

DE PRÆSENTATIONE RESCRIPTORUM.

60. *Rescripta justitiæ sunt presentanda intra annum, habita copia judicis delegati; alioquin valet secundum rescriptam ab adversario impetratum, etiam non facta mentione de primo.* — Queritur I. Intra quod tempus rescripta sint presentanda? Resp. Rescripta justitiæ, seu ad lites, sunt presentanda intra annum, habita tamen copia judicis delegati: alioquin, si impetrator ejusmodi rescripto intra annum dolo vel negligentia usus non fuerit, et tamen delegati judicis copiam habuerit, valet secundum rescriptum impetratum ab adversario, licet de primo non faciat mentionem. Ita communis; et habetur expressum in *c. Si autem*, 9. et *c. Plerumque*, 23. h. t. Idque merito statutum est, eo quod nonnulli impetratis litteris apostolicis malitiose, aut negligenter, ipsis longo tempore uti noluerint, et tunc demum eas exhibuerint, quando ipsorum adversarius alias posteriores litteras a Papa impetravit, excipientes, quod hæc, utpote non facientes mentionem de prioribus, non valeant. Cum igitur malitiis hominum non sit indulgendum, mandavit Pontifex. rescripta

ad lites intra annum presentari debere, postquam tamen copia judicis habita fuerit; alioquin valeat posterius rescriptum, etsi non faciat mentionem de priori.

61. *Solvitur instantia ex c. Cæterum, h. t. desumpta.* — Nec obstat *c. Cæterum*, 3. h. t. ubi non valet secundum rescriptum, super aliqua causa a Sede apostolica obtentum, si in ipso non sit mentio de primo. Resp. enim hoc capitulum esse limitandum, atque intelligendum conformiter cit. *c. Si autem*, et *c. Plerumque*, videlicet, quando prius impetrator intra annum uti cœperit primo rescripto a se impetrato, vel saltem probare possit, quod eodem tempeste uti voluerit, nec tamen judicis delegati copiam habuerit: tunc enim non valet secundum rescriptum, nulla facta mentione de primo obtentum; idque ex defectu voluntatis concedentis, arg. *c. Ex parte*, 12. de *Offic. delegat.* Secus dicendum, quando primus impetrator dolo, vel negligentia, suo rescripto intra annum uti prætermittit.

62. *Si non impetratur secundum rescriptum per adversarium, tunc prius est perpetuum.* — Nota tamen Abbas cit. *Si autem*, num. 3. h. t. quod rescriptum ad lites ob dolum, vel negligentiam impetratoris in utendo (quæ post lapsum anni præsumitur nisi ad impetratore probetur impedimentum) tunc demum perdat, si per adversarium impetratur secundum contrarium: alias autem, non data impetratione secundi rescripti, primum est perpetuum; id est, durat tanto tempore, quanto durat actio, super qua impetratur. Et hoc probatur ex textu singulari. l. *Falso asseveratur*, c. de *diversis rescript.* ubi dicitur, quod rescripta justitiæ, sive ea, quæ ad jus rescribuntur, perennia esse debeant, non vero annalia, nisi aliud tempus definiatur in eis. Atqui allegati textus juris canonici, ponentes terminum unius anni, loquuntur dumtaxat in casu impetrati posterioris rescripti: ergo hoc non impetrato procedit jus antiquum, in d. l. *Falso asseveratur*, expressum; cum non censeatur plus de prioris lege mutatum, quam est expressum. l. *Præcipimus*, c. de *Appellat.*

63. *Et hac ratione rescripta justitiæ dicuntur perpetua.* — Et hac de causa Jason in d. l. *Falso asseveratur*, numer. 1. et Fachneus *Controvers. juris*, lib. VIII, cap. 65, allegans veram, et communem sententiam, absolute docet rescripta justitiæ perpetua esse: cum non sit inducenda inter jus civile, et canoni-

cum discordia, nisi aperte sit expressa, quamvis si dolo, vel negligentia quis intra annum non utatur obtento a se rescripto ad lites, possit adversarius ejus aliud impetrare, illudque valeat, licet nullam de priori faciat mentionem.

64. *Rescriptis gratiæ, et ad beneficia, non est certum tempus in jure præfixum, quo præsentari debeant. Unde hæc sunt perpetua.* — Resp. II. Rescriptis gratiæ, et ad beneficia, non est certum tempus in jure præfixum, intra quod præsentari debeant; adeoque hujusmodi rescripta regulariter sunt perpetua, nisi dolo aut notabilis negligentia cuiquam imputari valeat, vel aliunde certum tempus faciendæ præsentationis præfixum existat. Ita Abbas d. c. *Si autem*, num. 4. h. t. Jason loc. cit. numer. 2; Engel h. t. numer. 23. et alii. Probatur, simulque declaratur conclusio per singulas partes. Et quidem prima pars patet ex eo, quia nullibi reperitur in jure determinatum certum tempus, intra quod rescripta gratiosa, vel privilegia, præsentari debeant: quinimo, quod ipsa sint perpetua, neque expirent morte concedentis, textus est notabilis in c. *Si super gratia*, 9. de *Offic. delegat.* in 6.

65. *Dummodo dolo, aut notabilis negligentia in præsentando, cuiquam imputari non possit.* — Altera pars habetur ex c. *Tibi qui*, 12. § fin. h. t. in 6, ubi ille, qui prius litteras beneficiale impetravit, in assecutione præbendæ præfertur alteri, qui postea alias litteras beneficiale quoad eandem Ecclesiam obtinuit, licet has prius præsentaverit (per quod confirmatur ulterius prima pars conclusionis) cum hac tamen limitatione: «Dum tamen dolo tibi,» priores litteras obtinenti, «non possit vel notabilis negligentia imputari.» Et consequenter, argumento a sensu contrario desumpto, si quis dolo, vel notabili negligentia, ejusmodi rescripto diutius uti postposuerit, et superveniat impetratio contrarii rescripti ab alio postmodum obtenti, tunc prius rescriptum vim suam amittit, et posterior impetrator alterius rescripti in assecutione beneficii præfertur primo. Aliud hujus exemplum habetur in c. *Si clericus*, 11. de *Præbend.* in 6. ubi dicitur, quod si clericus, cui mandabatur provideri de præbenda proxime vacatura, negligit petere præbendam primo vacantem, sibi que debitam, facta gratia per ipsius negligentia sit extincta.

66. *Quando quis dicatur negligens in præsen-*

tandis rescriptis gratiosis? — Cæterum, quando aliquis dicatur negligens in præsentandis rescriptis gratiosis, non est in jure definitum (sicut in rescriptis justitiæ, ubi annus præscribitur habita copia judicis) ac proinde id arbitrio boni viri, id est, judicis, relinquendum censet Glossa d. c. *Si clericus*, vers. *Negligenter*, per textum notabilem l. *Continuus*, § *Cum ita*, ff. de *Verb. obligat.* et Alexander lib. I, consil. 49, numer. 5, id judicandum dicens inspecta qualitate personæ, et loci distantia, ac qualitate causæ, arg. *Cum sit Romana*, 5, de *Appellat.*; Menochius de *Arbitrar. judic.* casu 204, n. 4, citans Innocentium in c. *Plerumque*, in fin. h. t.; Joan. de Selva, et alios.

67. *Et dummodo aliunde certum tempus faciendæ præsentationis non sit præfixum.* — Tertia pars datæ conclusionis ex eo patet, quia, si aliunde certum tempus faciendæ præsentationis præfixum existat, id omnimodis observandum erit: nam ubi est certum, conjecturæ locus non est, l. *Ille aut ille*, ff. de *Legat.* III. et d. l. *Continuus*, § *Cum ita*, cum similibus. Hinc, cui mandatur per rescriptum apostolicum, provideri de præbenda proxime vacatura, eveniente tali vacatione tenetur præsentare rescriptum; alioquin perdet gratiam, cit. c. *Si clericus*, de *Præbend.* in 6.

68. *Concordata Germanicæ, quid disponant circa præsentationem rescriptorum ad beneficia?* — Insuper in concordatis Germanicæ, anno 1448, inter Sedem apostolicam tempore Nicolai papæ V. et inclitam nationem Germanicam initis, § *De cæteris*, expresse cavetur, ut quoties aliquo vacante beneficio in mensibus papalibus, «non apparuerit infra tres menses, a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc, et non antea, ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit.» Hæc ibi. Verum, quia circa sensum dictorum verborum, quæ ordinarii collatores in præjudicium collationis papalis interpretabantur, frequentes difficultates oriébantur, hinc Gregorius XIII, in bulla *Quæ in Ecclesiam* (quæ refertur tom. II *Bullarii Rom.* constitut. 41. ipsius) declaravit voluntatem concedentis, ac sensum dictorum verborum esse, «ut dispositio beneficii intra tres menses a die notæ vacationis a Sede prædicta fieri, de quo gratia facta alicubi apparere debeat.» Adeoque ulterius

æquitate, et justitia suadente, declaravit, quod post lapsum etiam trium mensium non possint ordinarii collatores disponere de ejusmodi beneficiis, quando de ipsis intra tempus trium mensium per Sedem apostolicam qualiscumque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuit. Ne autem cuiquam licitum foret, factam a Sede præfata dispositionem in longum obtere, hinc idem Pontifex provide decrevit, quod provisi de beneficio, concessionis sibi factæ «fidem, et testimonium intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii hujusmodi, vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquo modo teneantur.» Quod proinde omnimodis observandum est, dummodo commode fieri possit, et temporis angustia, vel alia justa impedimenta non obstant. Engel h. t. numer. 23; Pirhing, tit. de *Præbend.*, numer. 363, ac præsertim Georgius Branden *super Concordata Germanicæ*, quæst. 12, *Notab.* 2, ubi numer. 3 et 4 subinfert quod, si Papa providerit intra tres menses, juxta concordata, non officiat, quod talis provisio intra tres menses a die vacationis non innotuerit in partibus: quia hoc non est necesse, stante declaratione Rotæ coram Fabio Accoramb. 13 febru. 1559. in decis. divers. 126. Et quamvis Gregorius XIII, ubi supra, decreverit «significationem obtentæ provisionis intra tres menses fieri debere; id tamen solum mandavit ad excitandam diligentiam provisorum, non tamen annullat provisionem, si hoc omissum fuerit; licet irritas declaret quascumque provisiones collatorum factas post publicationem gratiæ apostolicæ.

69. *In rescriptis gratiæ attenditur tempus Præsentatæ, et in rescriptis justitiæ tempus Præsentatæ.* — Quæritur II. Utrum in rescriptis papalibus attendatur tempus *Præsentatæ*, seu factæ præsentationis, vel potius tempus *Data*? Resp. esse distinguendum inter rescripta gratiæ, et rescripta justitiæ: nam in his posterioribus inspicitur tempus factæ præsentationis; in illis autem, hoc est, in rescriptis gratiosis, ac beneficiabilibus, tempus *Data*, dummodo in istis non fuerit apposita aliqua conditio. Ita Baldus in c. *Sicut Romana*, num. 18. h. t.; Rebuffus, in *Praxi Benefic.*, tit. *Differentia inter rescript. gratiæ et justitiæ*, n. 33; Barbosa, in *Capitul. sanctæ Crucis*, num. 50; h. t.; Engel, h. t., num. 18. Felinas c. *Eam te*, num. 18. et segg. de *Rescript.* ponens quasdam hujus limitationes

Rota Romana, in una Sypontina Pensionis, 5 julii 1638, apud Coccinum, dec. 2276, et in una Calaguritana canonicatus, 3 aprilis 1620, apud eundem Coccinum decis. 1234. numer. 1, et alia Rota coram Merlino, decis. 281, num. 6; Vincentius de Justis, de *Dispensat. matrim.* lib. I, cap. vi, numer. 561. et alii. Ratio disparitatis est, quia ante factam rescriptorum justitiæ præsentationem judex delegatus nullam habet jurisdictionem efficacem, c. *Ut debitus*, 39. de *Appellat.* Imo hisce rescriptis facta inest conditio, si præsententur, arg. c. *Super eo*, 12. eod. ubi dicitur: «Si autem infra certum tempus decidenda committitur, tunc terminus incipit currere, cum judices contigerit litteras recepisse.» Unde patet, quod in rescriptis justitiæ, per quas confertur jurisdictio judicibus delegatis, inspicere debeat tempus *Præsentatæ*, seu factæ præsentationis litterarum apostolicarum.

70. *Exemplificatur hoc quoad rescripta justitiæ.* — Hinc inferitur, quod judex ordinarius possit prosequi processum judicarium, non obstante, quod pars adversa contra eum incipiat, dicendo, quod ad Papam nuntium destinaverit, vel ab eodem jam litteras alium judicem dantes impetraverit, priusquam hæc judicis delegati actualiter præsentatæ fuerint, text. clar. cit. c. *Ut debitus*, 39. de *Appellat.* Econtra vero, si quis tempore impetrati rescripti justitiæ fuerat prælatus ecclesiasticus, sed tamen ante præsentatæ litteras renuntiavit prælaturæ, vel ab ea depositus fuit, ulterius officium commissæ sibi delegationis suscipere non poterit: quia videlicet tempore *Præsentatæ* non amplius est constitutus in dignitate ecclesiastica; officium autem delegationis aliis committi non potest, nisi constitutus in dignitate, per se in statu, vel canonicatu ecclesie cathedralis, c. *Statutum*, 11, § 1, h. t. in 6; Engel, h. t. n. 18.

71. *Ac etiam quoad rescripta gratiæ et ad beneficia.* — Secus dicendum de rescriptis gratiosis: nam in his pro eo instanti, quod litteræ sunt datæ, seu expeditæ, illico partibus est quæsitum, dummodo aliud non obstat: unde merito in istis attenditur tempus *Data*. Et hoc ipsum ulterius desumitur ex c. *Damte*, 7, h. t. ibi: «Quod nullatenus fecisse deberes, si datam litterarum diligentius attendisses.» Concordat cap. *Constitutus*, 19, juncta Glossa, §. *Impetrasset*, h. t. ubi pariter in rescripto ad beneficium emanato, consideratur tempus *Data*. Et cap. *Eum cui*, 7, de *Præbend.* in 6,

ubi summarium inquit : « In impetratione beneficiorum inspicitur data, non præsentatio, vel receptio. »

72. *Ac etiam quoad rescripta gratiæ et ad beneficia.*— Hinc c. *Si eo tempore*, 9, h. t. in 6, Pontifex resolvit, virtute rescripti beneficiæ non posse conferri beneficium curatum illi, qui tempore *Data* ipsius rescripti nondum habebat ætatem idoneam ad illud, etiamsi postmodum fuerit effectus legitimæ ætatis : quia nimirum in litteris ad beneficia impetratis inspicitur tempus *Data*. textus, Glossa, et doctores ibidem.

73. *Ac etiam quoad rescripta gratiæ et ad beneficia.*— Similiter in Clem. ult. h. t. pariter deciditur, quod litteræ apostolicæ super conferendo beneficio vacaturo, non extendantur ad beneficium post *Datam* earum creatum, seu primo erectum. Item c. *Tibi qui* 12, h. t. in 6, et c. *Eum cui*, 7, de *Præbend.*, in 6, cum similibus, quoad impetrationem præbendæ vacantis, vel proxime vacaturæ, præfertur ille, qui prius litteras impetravit, licet alius, similem gratiam postea obtinens, suas litteras prius præsentaverit, prout amplius dicitur infra n. 95 et seqq.

74. *Gratia papalis, an perficiatur ex sola signatura?*— Nec dicas : Gratia papalis perficitur ex sola signatura. Rota, decis. 418, n. 3, p. 1, *divers.*; Cassadorius, decis. 4, n. 2, de *Caus. possess.* Imo et solo verbo gratia principis perficitur; Bartolus, in l. *Humanum*, v. *Breviter*. C. de *Legib.* Parisius, consil. 5, n. 60, lib. IV. Rota, in Bononiensi de *Binarinis* 5 martii 1618, coram D Andrea : ergo in litteris gratiosis Papæ potius attendi debet tempus signaturæ, sive concessionis, quam *Data* Resp. enim antecedens, cæcis casibus exceptis, et illico specificandis, merito revocari in dubium; nam in regula 27. Cancellariæ apostolicæ, per SS. D. N. Innocentium PP. XII, reassumpta, dicitur, « quod ante confectionem litterarum gratia apostolica sit informis. Ac proinde ibidem statuitur, « quod iudices non juxta supplicationem signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in romana curia dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes, per *Placet*, vel per S. R. E. vice-cancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas judicare debeant. » Idemque loquendo de dispensationibus repetitur in regula 52, quæ inscribitur : « Nulla suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis.

Verum quidquid sit de antecedenti, negatur consequentia. Quinimo simul stat utrumque : nam Papa censetur signasse supplicationem a die, sub qua apparet data a datario per ipsum Papam ad hoc munus deputato, neque admittitur probatio in contrarium. Barbosa, lib. III, *jure eccles. unic.*, cap. XIII, n. 199, post Puteum, decis. 94, lib. II, in correct. Stephan. gratian., *discept. forens.*, c. 191, n. 1 et seqq., et alios.

75. *Conditio apposita suspendit effectum concessionis pontificæ.*— Additur notanter num. 69. Dummodo in istis, sive rescriptis gratiosis, « non fuerit apposita aliqua conditio : » ut puta, conditio acceptationis, vel electionis, prout exemplificat Baldus, cit. num. 18. Nam conditio apposita suspenderet effectum dispositionis, seu concessionis pontificæ eumque rejiceret in eventum futuræ conditionis, l. *Cedere diem*, ff. de *Verb. signif.* Menochius, consil. 63, n. 28, ac proinde non posset attendi tempus *Data*, sed potius tempus eventus conditionis.

76. *Declaratur, in ordine ad quos effectus in rescriptis justitiæ attendatur tempus Præsentatæ, vel aliud tempus.*— Possunt etiam contra datam conclusionem objici plura jura, in quibus quoad rescripta attenditur aliud tempus, quam *Data* in litteris gratiosis, et *Præsentatæ* in litteris justitiæ; prout fusius ostendit Glossa in c. *Dilectus filius*, vers. *Recepturunt*, et Abbas ibid., num. 7, de *Præbend.* Verum facile respondetur diversificando casus, et sic jura juribus concordando. Licet enim in rescriptis justitiæ, ad hoc, ut iudici delegato conferatur jurisdictio, attendatur tempus factæ præsentationis eorumdem, ut dictum : nihilominus quoad alios effectus tale tempus non attenditur. Sic quippe respectu actionis, super qua talia rescripta impetrantur, consideratur tempus *Data*, text. clar., cap. ult., h. t., ubi cavetur, ne rescripta justitiæ ad futuras trahantur controversias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ. Deinde in rescriptis justitiæ, quantum ad eorum perpetuitatem, sive quantum ad perpetuandam jurisdictionem iudicis delegati post mortem principalis, inspicitur tempus factæ citationis per delegatum, c. *Gratum*, 20, et c. *Licet* 30, de *Offic. delegat.*, cum concordantiis. His præter alios adde casum illum, quo iudex datus tempore impetrati rescripti fuit excommunicatus, et ante ejus receptionem absolutus : nam tunc litteræ ab initio fuissent nullæ, sicque postea per absolutio-

nem reconvalescere non possent. Glossa, loc. cit. et Abbas ibid. n. 12.

77. *Ac in rescripto gratiæ, seu ad beneficia attendatur tempus Data, vel aliud.*— Similiter in rescriptis gratiæ, seu ad beneficia, consideratur quidem tempus *Data*, quando gratia jam est perfecta, sicque jus parti quæsitum; ac etiam, quando quæritur de viribus rescripti, et commissa, vel non commissa subreptione, c. *Constitutus*, 19, h. t. Quia enim impetranti imputandum non est, si non faciat mentionem de his, quæ tempore *Data* nondum erant, bene tamen, si taceat necessario de jure exprimenda, quæ tunc existebant : hinc quantum ad valorem rescripti, et evitandam subreptionem, necesse est attendi tempus *Data*. Nihilominus in pluribus aliis casibus hoc tempus non consideratur : nam imprimis, quando gratia nondum est perfecta, sed mandatur primum fieri, seu conferri per alium, tunc inspicitur tempus inchoatæ executionis mandati, ad hoc, ut censeatur non expirare per mortem concedentis, c. *Si cui*, 36, § fin. de *Præbend.* in 6.

78. *Ac in rescripto gratiæ, seu ad beneficia attendatur tempus Data, vel aliud.*— Deinde, quantum ad convincendam inobedientiam, seu negligentiam non parentis mandato apostolico, inspicitur tempus receptionis litterarum, seu notitiæ : quia non potest quis dici inobediens, vel negligens, si ignorat mandatum superioris. Et in hoc casu procedit, cit. c. *Dilectus filius*, 27, de *Præbend.* et cap. 1, de *Concess. Præbend.* in 6.

79. *Ac in rescriptis gratiæ, seu ad beneficia attendatur tempus Data, vel aliud. Motus proprius purgat subreptionem, ac defectum ætatis pro tempore Data, rescriptis beneficialibus.*— Insuper, si motu proprio Papa mandat cuiquam, v. g. Titio, provideri de beneficio proxime vacaturo, sufficit, quod Titius habeat legitimam ætatem tempore vacantis beneficii, licet nondum habuerit tempore *Data*, argum. c. *Et cui*, 29, juncta Glossa fin., de *Præbend.* in 6. Nam motus proprius, qui purgat subreptionem, c. *Si motu proprio*, 23, eod. in 6, et Clement., *Si Romanus*, 4, eod. purgat pariter defectum ætatis pro tempore *Data*; ac proinde sufficit, si Titius habeat legitimam ætatem illo tempore, quo recepturus est beneficium. Et sic oportet limitare, c. *Si eo tempore*, 9, de *Rescript.*, in 6, ut non procedat in litteris motu proprio concessis. Abbas in cit. c. *Dilectus filius*, n. 9, et Joan. Andreas, ibid. de *Præbend.*

§ IV.

DE PRÆLATIONE, SEU PRÆVALIDITATE RESCRIPTORUM, QUANDO PLURA SUNT IMPETRATA.

80. *Plura sunt hic distinguenda.*— Hanc materiam fuse tractat Glossa magna in cap. 1, h. t., et Abbas, aliique doctores ibidem, distinguendo plura membra ipsius : unde ut ordinate, clareque procedatur, expedit distinguere, ac singillatim loqui de rescriptis justitiæ, de rescriptis ad beneficia ecclesiastica, et de aliis rescriptis gratiosis, ipsisque privilegiis. Unde

81. *Si primum rescriptum justitiæ est generale et alterum speciale, valet speciale.*— Quæritur I. Quodnam ex pluribus rescriptis justitiæ, seu ad lites impetratis, sit præferendum? Resp. I. Circa hoc imprimis est attendendum, utrum ex duobus rescriptis per diversos impetratis, unum sit speciale et alterum generale, nec ne. Et quidem, si primum rescriptum sit generale, et alterum ab adversario impetratum sit speciale, valet speciale, etiamsi de priori generali non faciat mentionem, text. clar. cap. 1, et c. *Pastoralis* 14, § *Quoniam*, h. t. Ratio est, quia « speciale mandatum derogat generali, » prout ibidem dicitur. Concordat reg. 34. juris in 6, et l. *In toto*, ff. de *Reg. jur.* ibi : « In toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur quod ad speciem directum est. » Glossa magna cap. 1, h. t.

82. *Dummodo generalitatis illius non prius facta sit specificatio.*— Limitatur hoc cit. § *Quoniam*, dummodo tamen generalitatis illius non prius facta fuerit specificatio, exprimendo videlicet nominatim personas, vel res illas, super quibus conveniendis priores illæ litteræ generales impetratæ sunt. Nam facta tali specificatione, seu nominatione personarum, vel rerum, jam cessat ratio generalitatis; sicque litteræ speciales, postea primum impetratæ, non amplius derogant prioribus : quia licet hæc de se fuerint generales (non quidem respectu iudicis, sed respectu personarum, vel rerum conveniendarum. Abbas citat. §. *Quoniam*, numer. 1.) nihilominus facta harum specificatione effectæ sunt speciales.

83. *Et a potiori, quando primum rescriptum est speciale, alterum generale, prævalebit speciale.*— Quod si primum rescriptum fuerit speciale, et secundum generale, a po-